Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA

De

BRAXATIONE,

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Autoritate & Consensu

Magnifici ac Nobilissimi JCtorum Ordinis

in Illustri SALANA

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Consultissimo, Amplissimo atque Excellentissimo,

DN. JOH. VOLK. Bechmann/

JCto & Antecessore famigeratissimo, Consiliario Saxonico gravissimo, Curiæ Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ Assessore eminentissimo,

Domino Præceptore, Patrono ac Hospite suo omni honoris atque observantiæ cultu ætatem prosequendo,

Publicæ Eruditorum Ventilationi

submittit

FRIDERICUS VOLTZIUS, Cammin. Pomer. AUTOR.

In Auditorio JCtorum,

Ad d. Maji Horis consvetis.

JENÆ

Typis JOHANN. NISII, Anno M. DC. LXIV. 3½ pl.

Σὺν τῷ Θεῷ

PROOEMIUM

HActenus de ſeligenda quadam materia fui ſollicitus; Cum vero præ reliquis nulla, quam quæ de braxatione tractat, mihi dignior videretur, multas quoque & magnas ſæpè de ea inter cives controverſias moveri præprimis Pomeranos certum eſſet, hinc publico eruditorum examini utilem hanc materiam ſubmittere animum induxi. Et quanquam me non fugiat, quam ſit difficile in ſcenam prodire & cathedram aſcendere; hocce tamen periculum facere fretus publico Commilitonum favore non dubitavi. Ignoſcite ergo quæſo, ſi quid publici ſaporis non eſſe videatur, ætati & ingenio parum ad huc in jure verſato. Tu interim Supreme laborum noſtrorum DIRECTOR DEUS. Benignitate, atque clementia & huic meo labori adeſto.

I.

HOc jus braxandi accuratius conſideraturos prius noſſe oportet, unde vocabulum braxare deſcendat, nominis enim principium notitiam rei præcedere debere, tam ipſius Juſtin. quam veterum JCtorum exemplum ſvadere videtur *l.1.ff.de J.& J.pr.J. de teſtam.ordin. l.1. ff. de furt* & *l.7. in fin.ff. de ſupell. leg.* Verba enim ſunt nota rerum *arg.l.1.ff.d.alim.vel cibar.leg.* ac propterea rebus, quantum poteſt, explicandis accommodari debent §.*3.J.de donat.* Quorum exemplum & nos ſimus

 imi-

imitaturi in præsenti nostro discursu, meritò etiam ante ipsius rei tractationem hujus vocis Etymologiam, Synonymiam & denique Homonymiam enodabimus.

Etymol. II. In vocis hujus origine Dd. non conveniunt. Quidam enim vocis braxare denominationem â Gallico braster, quod **brauen oder sieden** denotat, deducere volunt *Tabor de jure cerevis. c. 2. §. 2.* Alii vero â barbaro vocabulo brasium seu braxium, quod polentam germ. **maltz** significare scribit *Vossius de vitius Sermonis l. 1. c. 3. p. 184.* Alii tandem originem hujus vocis esse græcam â verbo *βράζειν* seu *βράσσειν* i. e. ebullire, dicunt *vid. Mart. in Lexic. Philol. in voce braxare:* quæ sententia cum nostro scopo videatur accommodatior, ideoque eam, ut accuratiorem & lubentes retinemus.

Synonym. III. Quantum ad Synonymiam; priscis bravire seu braviare *vid. Tabor. loc. jam cit.* idem erat, quod hodie nonnullis est braxare; purioris vero Latii Cultorib. coquere *adi Lexic. philolog. Mart. loc. all.* Quod latinis coquere, Græcis *βράζειν* est. Germanis vero **brauen / Bier brauen** appellitatur.

Homonym IV. Quemadmodum verò braxare seu coquere variè apud varios populos exprimitur, ita etiam varios admittit significatus (1.) enim idem est, quod candefacere, fingere aut formare ferrum, sic *apud Juven. Satyr. 15. vers. 165. legimus:*

—— Cum rastra & sarcula tantum
Assueti coquere —— ——

Apud Florum lib. 3. c. 20.: Ferrum recoctum; (2.) Usurpatur *apud Livium lib. 8.* pro clanculum moliri: omnibus, inquit, consultationibus inter se Principes Romanum concoquebant bellum (3.) Coquere idem denotat quod

cura

cura aliquem macerare, *Ennius apud Ciceron. de senectute:*

O Tite, si quid ego adjuro curamve levasso
quæ nunc te coquit. &c.

(4.) Tandem, ut alios hujus vocabuli significatus silentio prætereamus, coquere tribuitur etiam potus generi ex hordeo & lupulo præparato, quod cerevisia nobis Bier appellatur, ita ut cerevisiam coquere nih. al. sit germanico nostro idiomate quam Bier brauen. In qua significatione & nos hoc verbum nostrum coquere seu braxare (quod malumus, cum inscriptio nostræ dissertatiunculæ de braxatione sit concepta) hic intellectum volumus.

V. Hisce præsuppositis, addenda esset definitio nominalis. Cœterum cum hanc ipsam tradita nostra etymologia satis explicasse videatur, nosque tavtologias atque sermonis supervacuas iterationes, quantum fieri potest, evitemus. Realem statim subjungimus, quæ talis esse potest: Braxatio est jus reale publicum à Principe expressè vel tacitè civibus concessum ut cerevisiam ex materia apta legitimo modo servato ad usum tam publicum quam privatum coquant & divendant. Definit.

VI. Hanc definitionem ut in suas partes resolvamus, primo loco genus illius considerandum erit: genus nobis est *jus* i. e. potestas & facultas à principe concessa. Nemo enim braxandi habet licentiam, nisi legitimo modo acquisiverit. (2.) Dicitur *Reale*, ad differentiam juris personalis, jus enim personale cum personâ extingvitur *l. 196. ff. de R. J. l. 68. ff. eod. l. 13. ff. solut. matrim.* Hoc vero jus cum persona non interit; Ipsis enim ædibus inhæret & possessorem sequitur *vid. Dn. Carpz. part. 2. const. 6. defin. 6. n. 7.* & quidem adeo ut à domo separa-

 tim

tim vendi nequeat. *Dn. Carpz. part. 2. const. 41. defin. 15. n. 6. Dn. Mævius in Comment. ad jus lubec. l. 3. t. 12. art. 12. num. 9.* quia jura realia æquè ac servitutes reales semper cum prædio & domo manent *l. 1. §. 1. ff. Commun. prædior. l. 20. §. ult. l. 4. l. 36. ff. de servit. præd. rustic. Matth. Wesenbec. part. 1. consil. 39. n. 9. Add. Anton. Fab. in Cod. suo de servitutibus & aqua defin. 2.* (3.) *publicum* dicitur quia non omnes, sed ii tantum regulariter, quibus lex concessit, braxandi jus habent ut infra monstrabimus. (4.) dicitur *Tacitè vel expresse à principe concessum*, quæ verba modum & causam efficientem, quomodo scil. & à quo concedatur, declarant (5.) additur subjectum, quibus concedatur, *civibus* scil. qui simul domum, cui hoc jus inhæreat, habent; Etenim non statim, qui acquisivit jura civitatis, simul hoc acquisivit jus braxandi, de quo infra latius disserendi locus erit (6.) additur objectum seu materia circa quam, quæ est *cerevisia* ex lupulo, aqua & polenta præparata. (7.) Forma consistit in *legitimo modo observato* braxandæ & divendendæ cerevisiæ. Tandem (8.) exhibent finem verba ultima *tam ad publicum quam privatum usum.* De quibus nunc singulis ordine erit agendum.

Divisio. VII. Ne vero aliquid prætermisisse videamur, lubet quoque, priusquam in cœpto opere progredimur, divisionem juris braxandi addere. Dividimus autem hoc jus rectè in Limitatum & Illimitatum. Limitatum dicimus, quod tantum civibus collegium cerevisiarium in civitate habentibus vel expresso privilegio vel tacita concessione est constitutum *Tabor de jur. cerevis. c. 2. §. 5. Dn. Carpz. part. 2. constit. 6. defin. 4. n. 1.* Illimitatum vero quod non tantum certis civibus, sed etiam Dd. Professoribus, aliquando Pastoribus aliisque de Principe vel salute publica

blica

blica bene meritis est permissum *Dn. Carpz. loc. all. nu. 4. Berlich. 1. decis. 31. n. 7.*

VIII. Præmissis jam hisce omnibus, nos convertimus ad rem ipsam, ubi primum, nobis causa juris braxandi constitutiva seu efficiens consideranda occurrit. Hæc autem vel est Remota vel Proxima. Remotam dicimus jus esse gentium. Non enim Romanis tantum *l. 9. pr. ff. de trit. vin. & ol. legat.* cerevisiam fuisse notam, verum & aliis gentibus, *author est Diodor. Sicul. l. 1. c. 34. v. c. Ægyptiis Polyd. Verg. lib. 3. c. 3. & Trygophor. de constitutione reipubl. lib. 1. cap. 24. §. 7. in fin.* Quodnam potus genus ap. Priscos Germanos frequentius fuit, quid gratius, quam ipsa cerevisia, quam ex polenta, lupulo & aqua præparabant *vid. Jul. Cæsar. lib. 4. de bell. gall.* add. *Besold. Thesaur. pract. in voce* **Bier brauen.**

Causa efficiens.

Remota.

VIX. Proximam vero causam efficientem quod attinet ea est vel Principis Expressa ad instantiam totius civitatis, aut privati alicujus concessio. Vel Tacita, quæ præsumitur adesse, quando populi moribus & consvetudinibus non contradicit. Cum autem braxationem ap. varias gentes in usu fuisse ex prædictis jam appareat, Merito hîc quæritur: *An braxationem seu jus braxandi semper â Principibus suis impetraverint gentes? Anne potius propria authoritate hoc jus exercere potuerint?* Nos si rem paulo penitius inspicere & braxandi jus, quomodo cœperit, quomodo obtinuerit, ex suis principiis considerare velimus, affirmare non dubitamus, quin gentes illud pro lubitu, non requisita principis authoritate aut concessione exercuerint & per consvetudinem acquisiverint. Statu enim populari cum summa potestas adhuc esset penes populum, facile aliquid per consvetudinem introduci potuit,

Proxima.

potuit, præprimis si ad sublevandam hominum indigentiam & salutem reipubl. conservandam spectaret; Inter quæ, cum & braxandi consvetudo non postremum locum sibi meritò vindicaret, idcirco & facile concesserimus eam sic exigente & necessitate svadente initio non requisito principe obtinuisse & à populo frequentatam fuisse. Postmodum vero cum illud jus inter regalia quodammodo populo non contradicente relatum, non possumus negare, quin à principe illud braxandi jus sit impetratum atque hodienum impetretur *vid. Trentler. consil. 107. n.2.*

Subjectum. X. Porro progredimur ad causam materialem, ubi nobis duo consideranda sunt Subjectum scil. & Objectun (1.) de subjecto. Subjectum sunt personæ. Personæ autem variæ sunt conditionis, prout nos hic interpretamur: Aliæ enim sunt in municipio degentes, aliæ ruri habitantes. In municipio sunt cives. De civibus statim occurrit quæstio *An omnibus promiscuè hoc jus competat?* quod negamus, iis enim solum competit, quibus hoc jus specialiter est indultum *Tabor loc. sæpius alleg. c.2.§.4.* Maximè vero iis, qui ædes hoc privilegio donatas habent. Qui enim hisce carent, carebunt quoque, prout in plurimis civitatibus hodie obtinet, hoc jure braxandi, cum non sit jus merè personale, quod ad personas transeat, sed reale. *ut Th. 6. diximus add. Dn. Carpz. in jurisprud. forens. part. 2. constit. 6. defin. 6. n.7.*

XI. Cum itaque Civibus hoc jus competat, porro quæritur, *An quoque Nobiles sibi illud jus braxandi jure adsignare possint?* Nos negantium partes sequimur, idque probamus (1.) *per l.3. C. de commerc. & Mercat.* cujus legis expressa verba hæc sunt; quod Nobiliores natalibus &

hono-

honorum luce conſpicui & patrimonio ditiores perniciosum urbibus mercimonium exercere non debeât. Ratio quoque additur, ut ſcil. inter plebejos & negotiatores facilius ſit emendi vendendique commercium. *Add. Berlicb. deciſ. 31. Treutl. conſil. 117.* Aliam rationem *ad hanc legem 3. adfert. Dion. Gotb.* quod nobiliores ideo arceantur à mercatura, non quod illa ſit res illicita , ſed quod plebejo hoc caſu difficile foret commercium cum Nobili; Additque ulterius *ex Carol. Mol. de uſur. numer. 58. in fin.* quod quo quisque honeſtior eſt eo minus deceat eum negotiari aut fœnerari (1.) quod Nobiles ſua exercitia tractare , non vero ad rureſtria opera ſe conferre aut vicinis graves exiſtere debeant *arg. l. 31. l. ult. C. de loc. & conduct. & tt. C. Negotiat. ne militent lib. 12.* (3.) Quod Nobiles mercimonium ſeu negotiationem aliamve artem mechanicam non exerceant *Anton. Fab. in Codic. lib. 9. tit. 28. defin. 18. n. 1. & 2.* ne privilegia nobilitatis amittere aut minuere videantur *Bald. ad d. l. 3. C. de Comm. & Mercat. Tiraq. de Nobil. cap. 27. Schepliz. part. 4. tit. 4. §. 1. n. 14.* (4.) quod inferioris ſortis homines & negotiatores ſuperiorum ordinum officia, honores ac dignitates conſequi facile non pertentent, aut ſi quis meruerit, tamen repellatur *l. 6. C. de dignit. lib. 12.* Unde æquum eſt ut in ſuperiori ſorte poſiti, Nobiles ſcil. iterum à talibus vilibus commerciis abſtineant, quæ iſtis negotiatoribus quaſi propria facta ſunt *Franciſc.* Pfeil *in conſil. 202. num. 34.* (5.) quod Civitates onera reipubl. graviora patiantur, quod confirmat judiciũ magni cujusdam Principis, qui ſic cenſuit: Es ſey einmahl gewiß / daß die Städte robur principatus ſeyn / wann ſelbigen nun viel Mittel zu wachſen / können ſie auch viel willigen und ihren Herren wiederumb un-

ter die Armen greiffen etc. *Tabor. de jur. cerevis. c. 3. §. 1.* hinc ut ipsis quoque quædam commoda præ nobilibus competant necesse est, quia econtrariò multis privilegiis nobiles gaudeant ut ita meritò istas viles negotiationes fugere possint *quod JCti Tubingens. tom. 2. illustr. consil. à Wolfgango* Richtern *editor. consil. 38. num. 36. p. 429. probare videntur.* (6.) quod hæc commercia sint civium propria *vid. Francis.* Pfeiln. *loc. jam cit. n. 42. ita differentem.* Demnach gemeiniglich die Städte auf backen und brauen als gemeine bürgerliche Nahrung/Gewerb und Handthierung gewidmet/etc. *l. unic. C. de Pistor. lib. 11.* Quare etiam in terris Saxoniæ Civitatibus hoc privilegium concessum, ne infra milliare circumcirca cerevisia venalis habeatur, *Zobel ad art. 66. in pr. lit. A. lib. 3.* Landrecht. Quod & *constitutio D. Augusti Electoris in ordin. Provinc. de anno 1555. sub tit.* brauen/schencken und andere bürgerliche Handthierung auf dem Lande *satis confirmavit. add. Dn. Carpz. in jurispr. forens. part. 2. constit. 6. Defin. 4. n. 12.* Non vero tantum in Electoratu Saxoniæ, verum etiam in Electoratu Brandenburgico idem jus civitatibus concessum testatur *Scheplitz. part. 4. tit. 4. §. 1. n. 1.* Non itaque Nobilibus hoc jus braxandi competere ex prædictis satis apparet, nisi forte pro suâ domus aut familiæ necessitate id fiat *Scheplitz loc. jam cit. §. 4. n. 3. Moller. lib. 4. semest. c. 71. num. 1.* quod omnibus conceditur *Klok. lib. 2. de ærar. c. 11.* aut nisi præscriptione aut speciali à principe privilegio id jus consecuti sint *Schrad. 2. consil. 44. n. 46. Dn. Carpz. in jurispr. forens. loc. jam cit. defin. 4. n. 4.*

XII. A partibus Nobilium vero qui sunt hisce fundamentis & rationibus sententiam suam stabilire conantur (1.) quod contractus sint juris gentium *l. 5. ff. de*

just.

just. & jur. Hinc jus braxandæ & vendendæ cerevisiæ nemini sit interdicendum *l. 2. C. de præd. & omnib. reb. navicul. lib. 11. l. 14. C. de contrah. emt. & vendit.* (2.) quod quilibet suæ rei arbiter & moderator dicatur *l. 21. C. mãdat. vel contra.* & literæ sacræ hoc affirment *Matth. c. 20. vers. 15. ubi vinea Dominus, An non liceat, inquit, mihi quod volo facere in rebus meis?* (3.) quod in re sua locoque quilibet facere possit, quid sibi prodest, quamvis altereri noceat, dum sui commodi causa bonâ fide, non principaliter ut alteri noceat, faciat *arg. l. 24. §. ult. l. 26. ff. de damn. infect. vid. Francisc.* Pfeiln. *consil. 202.* Quibus rationibus licet plures addi possent, sufficiat tamen pro instituti nostri ratione hasce proposuisse, ad quas brevibus etiam respondendum erit. (1.) quod attinet, Resp. concedendo quod contractus sint juris gentium; Interim tamen exinde non sequitur quod hoc privilegium vel jus braxandi competat Nobilibus, cum â contractu ad privilegium nulla possit fieri argumentatio. Postquam enim lege regia omnis potestas & imperium in principem translata est *l. 1. §. 7. C. de V. J. E. l. 1. in pr. ff. de constit. princip.* adeo ut quod constituisset legis vigorem haberet § *6. J. de j. N. G. & C. & d. l. 1. §. 1. ff. de constit. princip.* Principes vero jus braxandi inter regalia numerarunt, nobilibus interdixerunt, non putamus id jus Nobilibus competere posse. *vid. Franc.* Pfeiln. *consil. 202. n. 57. l. all. 14. C. de emt. & vendit. verb. nisi lex specialiter, &c.* Ad Alterum Resp. Limitando: quod quilibet sit arbiter & moderator rei suæ scil. legitimo modo & quatenus LL. & Magistratus permittunt; jam vero hoc jus neque LL. neque Magistratus Nobilibus concedunt *ut th. at. dictum.* E. Nobiles hoc exercere non possunt, nisi contra LL. & Magistratus agere malint. Ul-

timum quod attinet lubentes concedimus si adsit bona fides : eam autem hic adesse negamus , cum Nobiles non ignorent hoc prohibitum esse. *Franc.* Pfeil *loc. all. num.* 61.

XIII. Hæc de Nobilibus dixisse sufficiant , videamus nunc de Clericis, *An & illis jus braxandi competat?* Pro affirm. facit (1.) quod illis neque de jure civili neque Canon. sit prohibitum, quod enim non prohibitum, concessum esse videtur *Wesenb. ad ff. de procurat. n.* 5. (2.) quod Clerici parvos habent proventus. (3.) quod cura & opera eorum nullo modo resarciri possit, hinc ipsis hoc jus non denegandum & denique (4.) quod videantur esse cives, quia non extra sed in civitate plerique habitent. Sed cum nobis negativa verior videatur, paucis ad hasce dubitandi rationes respondebimus & deinde sententiam nostram adjungemus. Ad (1.) itaque Resp. limitando: Quodcunque neque de jure civili neque canon. neque moribus neque constitutionibus est prohibitum, illud Clericis est permissum & hoc modo Majore limitata minor vacillaret. (2) quod attinet. Resp. distingvendo : aut proventus, quos Clerici habent sustentationi familiæ vel domus sufficiunt, aut minus. Priori casu hoc jure opus non habent: Posteriori vero potius petant ut salarium augeatur, quam ut jus braxandæ & divendendæ cerevisiæ exercere studeant. *Dn. Carpz. Jur. consist. lib. 1. defin. 99. n. 7.* Ad (3.) Resp. Neg. Conseq. quæ enim consequentia. Cura & opera Clericorum nullo modo â civibus resarciri potest E. ipsis jus braxandi est concedendum. Concedimus quidem eorum operam , curas & labores inæstimabiles esse & â civibus dignè non resarciri, proptereaque cives ipsis naturaliter obligatos esse. Exinde autem non

sequi-

sequitur ; quod illis jus braxandi sit permittendum: Vaga enim illa est obligatio neq; ad certũ quid restricta. Denique ad (4.) Resp. neg. quod Clerici jure civitatis gaudeant. Quemadmodum autem multi quidem sint in territorio, qui tamen non sunt de territorio *Dn. Carpz. process. tit. 2. art. 1. n. 17.* ita & multi sunt in civitate, qui tamen non sunt de ciritate neque cives v. gr. officiales & olim servi, qui licet in civitate essent, tamen non erant cives. Idem de Clericis affirmamus.

XIV. Pro negativa itaque nostra defendendâ facit (1.) quod illi â negotiationibus abstinere debeant sub pœna amissionis clericatus *C. clerici 14. quæst. 4. C. negotiatorem. 9. & C. fornicari 10. distinct. 88. Schepliz. part. 4. constit. Brandenb. tit. 4. §. 1. n. 7. item* Pommer-Baurordnung *tit. 9. §1.* Jmgleichen soll es auch / etc. (2.) quod neque sint cives *ut th. præcedente dictum*, neque domus hoc jure privilegiatas habeant, ideoque hoc jus illis non permittatur *vid. th. 10.* (3.) quod avocentur â suis officiis, quòd fieri non debet *C. fin. distinct. 88.* imo quod turbentur in suis piis cogitationibus & (4.) hæc ferè omnia, quæ de Nobilibus diximus, pari ratione procedunt in Clericis *Schepliz in constit. Brandenb. part. 4. tit. 4. §. 1. n. 7.* plures *vid. apud Simon. Pist. in consil. 3.* Limitamus vero nostram sententiam, nisi ipsis specialiter sit concessum ut pro usu domus & familiæ suæ braxent cerevisiam quam tamen venalem non habeant. *Dn. Carpz. jurispr. consist. l. 1. defin. 148.* Pommer-Bauerordnung *tit. 9. §. jam alleg.* aut Domus hoc jure privilegiatas & jura civitatis acquisiverint, quemadmodum ejusmodi exempla in provinciis occurrunt.

XV. Tandem confligendum erit cum iis, qui Rusticorum partes agunt & pro illis afferunt (1.) quod Rusticis

neque jure civili neque jure canon. neque ſtatutis ſaxon: neque ullo alio jure recepto braxatio ſit interdicta (2.) quod ſolis Nobilibus negotia & opificia urbana exercere prohibitum ſit *per l. 3. de Comm. & Mercat.* non E. reliquis, qui ſplendore majorum carent, quales ſunt ruſtici (3.) quod ea, quæ ad corporis ac vitæ noſtræ imo & noſtrorum & proximi noſtri neceſſitatem pertinent, unicuique non tantum conceſſa ſed & commendata eſſe debeant *arg. l. 3. ff. de juſt. & jur.* Cœterum (1.) quod attinet dicimus hæc quidem vera eſſe in iis locis ubi hoc jus Ruſtici habent, Interim quod jure Saxon. Ruſticis non ſit interdictum, eſt quod negamus; quamvis enim illud non fiat expreſsè, ſufficit id fieri implicitè & per bonam conſequentiam *vid. de hoc Dn. Carpz. part. 2. conſtit. 6. defin. 5.* Ad (2.) Reſp. Conced. quod jure civili & præſertim hac lege expreſsè Ruſticis cereviſiam coquere eamve vendere non ſit interdictum ut ait Schurfius *conſil 32. n. 1. & ſeq. cent. 2. quem ſequitur Andreas Rauch. quæſt. 12. n. 7. part. 2.* tamen notanda ſunt verba: urbibus pernicioſum quæ excluſionem ſatis arguere videntur. Ad. (3.) Reſp. quod Major abſolutè ſumta ſit falſa; ſi enim hoc eſſet concedendum, nulla opificum genera ſalva manerent. Licet quidem cuilibet alimenta ſua quærere, dummodo tamen id fiat modo legitimo & civili. Hinc etiam Dd. diſtinguunt inter alimentationem ipſam & modum alimentandi. Hic poteſt à magiſtratu prohiberi propter reipubl. utilitatem & alterius damnum: ſic Ruſtici ex agricultura & operibus ruſticis quidem alimentationem ſuam quærere poſſunt, imo debent, aſt non ex negotiationibus civium, ne agricultura tandem negligatur contra leges *arg. l. 2. ff. de Min. Schepliz conſtit. Brandenb. part. 4. tit.*

tit.4.§.1 num.ult. Unusquisque enim ſuæ vocationis meminiſſe debet *arg. l.unic.C. Negotiat. ne milit. lib.12.*

XVI. Ad Corroborandam itaque noſtram negativam optimè faciunt ſequentia. (1.) conſtit. ſupra alleg. Sereniſſimi Electoris Brandenb. *apud Schepliz. part.4. tit. 4. §.1.n.1. & n.ult. item part. 4.tit 17.§.1.num.1 & §. 2.nu. 1.* idem affirmat Pommr-Baurordnung *tit. all. 9. §. 1.* Imgleichen ſoll es auch mit der Straffe gegen Bauren / etc. (2.) Argumentum Dn. Carpz. Quodcunque ſcil. Nobilibus tanquam Magiſtratui non licet, illud quoque non licet Ruſticis ceu ſubditis. *in ſua juriſpr. forenſ. loc. all. n. 1.* Et (3.) *art. 66. lib. 3.* Sächſiſchen Landrecht *in pr.* Man mag keinen Markt bauen/etc. per vocab. Markt nihil aliud denotatur quam omnia commercia & jura civibus propria ut explicat *Dn. Carpz. loc. jā all. n. 2. & 3.* Niſi etiā id Ruſtici antiqua conſvetudine & juſta præſcriptione, quam probare tenentur, acquiſiverint. *conſtit. ſæpius all. Sereniſſ. Elector. Brandenb. ap. Schepliz. part. 4. tit. 17. §. 1. num. 1. & §. 2. n. 1. & verba hæc n. 2. add.* Und den Bauren das gantze Jahr kein Maltz gemahlen werden / alleine gegen einem jeden Auſte oder Arenzeit / mögen ihnen die Müller zum höchſten 4. Scheffel Maltz mahlen / etc.

XVII. Hactenus oſtendimus, quatenus Nobilibus, Clericis, Civibus & Ruſticis jus braxandi competat: Civibus regulariter, reliquis vero non niſi pro domus & familiæ neceſſitate exerceant, aut præſcriptione juſta aut antiqua conſvetudine acquiſiverint. Quæritur jam hic: *anne & hoc jus privatæ braxationis* Das Hauß und Keſſel Bier brauen *poſſit prohiberi? Klok. lib. 2. de ærar. c. 11.* item Beyriſch Landrecht *lib. 3. tit. 2. art. 4.* Von dem Biere ſo ihm einer zu ſeines Hauſes Nothdurft brauen läßt *affirm.* Unde

etiam

etiam constitutiones publicum braxandi jus prohibentes clausulam hanc secumferre solent: **Jedoch das ihnen frey stehen solle in ihren Häusern zu ihrer Nothdurft in Kässeln zu brauen** *Rauchb.2. quæst.12.* Quod etiam in Pomerania observatur. Interim tamen quibusdam in locis seu civitatibus & hoc privatum braxandi jus restrictum est, ne id quidem alicui, nisi sit membrum collegii cerevisiarii, exercere liceat (& hoc fit multas ob rationes quæ non contemnendæ.) Hinc politica hæc ratio subesse videtur ut domus hoc privilegio donatæ, majori pretio, præsertim si privilegium sit perpetuum & reale, vendantur *Dn. Mævius in comment. ad jus Lubec. lib. 3. tit. 12. art. 12. numer. 9.*

XVIII. Ultimo hic lubet quærere: *An quis domum invito vicino ad braxandam cerevisiam exstruere possit?* Absolutè loquendo nihil affirmari seu negari potest. Si enim antea hoc jus domui non competierit, negatur quæstio. si autem antiquitus jus exercendæ ejusmodi artis in ædibus fuerit, iterū videndum, an intra 20. annos id exercitium probari possit, an vero hoc jus vicennio non exercitum sit. Priori modo affirm. quæstio posteriori vero iterum negatur. *de hisce vid. Dn. Mævium loc. all. n. 1. & n. 25.*

Objectum. seu Materia.

XIX. Hæc de subjecto. Objectum juris braxandi seu materia circa quam, est cerevisia. De cerevisia hic jam prolixe esset differendum, unde præparetur. Verum, cum jam *supra th.6.* de ea dictum sit ac præterea *Tabor in tract. de jure cerevis. c.1.§.6. & 9. præparationem istius accuratè explicat*, nos hisce præter necessitatem non immorabimur & tempori inservientes exercitii gratia hoc unicum hic quærere lubet: *Si quis ex alieno frumento cerevi-*

siam

ſiam coquat, Quis ejus cereviſia Dominus ſit? Num is cujus fuit frumentum, an potius ipſe ſpecificans? Nos hanc quæſtionem ex jure communi ita decidendam putamus, quia cereviſia non poteſt iterum reduci ad priſtinam formam, quòd ſpecificans illius dominus ſit. Sicuti enim forma præſtantior eſt ipsâ materiâ; ita etiam Dominus formæ meritò prævalet Domino materiæ §. *25. J. de R. D. l. 7. §. 7. ff. de Acquir. R. D. add. Schneidew. add.* §. *25.* Interim vero aliter in foro decidi facilè non negaverimus.

XX Cereviſia, quemadmodum in variis provinciis præparatur, ita etiam propter diverſos effectus & virtutes, varia ſortitur nomina v. g. cereviſia primaria, quæ Brunſvigæ coquitur, dicitur mumm, cujus tanta eſt efficacia, ut ſi modice modo ſumta hominem quaſi mutum faciat ut nihil proferre poſſit unde forte illud mumm. Ita Guſtroviæ etiam cereviſiæ coquitur, quæ dicitur Kniſenack / facile crediderimus & eam à virtutibus ſuis dictam quaſi hominum cervices frangat, eosve eò redigat ut neque pes neque manus ſuo ſatisfacere poſſit officio. Quid de Eislebienſium Mordt / Todtſchlag. de Lipſienſium Raſtrom, de Wittenbergenſium Gukguk. uti voc. Sane ſi effectus eorū numeraremꝰ, quilibet nobiſcū fortè fateretur nomina rebus convenientia impoſita *vid. Tabor. de jur. cereviſ. c. 1. §. 7. Byſold. in theſaur. pract. voc.* Bier brauen / ſed miſſis hiſce progredimur ad ipſam formam juris braxandi.

XXI. Formam putamus conſiſtere in ordine, quem Magiſtratus præſcripſit, aut quem ipſum collegium cereviſiarium ſibi elegit & electum certo ſtatuto confirmavit. Collegia enim licita, inter quæ etiam cereviſiarium, inter ſeſe ratione ſuæ profeſſionis & artis poſſunt facere Forma.

ſtatu-

statuta. *l. fin. C. de jurisd. omn. jud. l. 2. §. fin. C. de constit. pecun.* Dummodo ex consvetudine confirmentur à Magistratu *Schneidewein. ad §. 1. de jur. N. G. & C. num. 15. add. Habn. ad n. Wesenbec. de legibus numer. 3. in voce decreta. Webner observ. pract. verb.* Zunfft Innungen *& verb.* Gildemeister. Statuta autem hæc non sunt unius generis, sed pro diversitate civitatum variant. Unum enim collegium alteri nihil potest præscribere propter defectum jurisdictionis *arg. l. ult. ff. de jurisd.* Ponamus ergo in hac vel illa civitate ita cautum inter cerevisiarios esse ne quis prius braxet, quam ordo ipsum tangat, *an non liceat braxando anticipare?* Resp. quod regulariter id non liceat, quia ut alias anticipatio odiosa est *vid.* Churfürstl. Sachs. *Proces-*Ordn. *tit. 18. §.* Wenn nun also *item tit. 51. §.* wen auch dieser. *Berlich. part. 1. concl. 30. num. 7. Dn. Carpz. part. 1. const. 29. defin. 9. n. 3. Schneidew. ad §. 33. Inst. de action.* ita & in braxatione anticipatio rejicienda propter mala quæ exinde pullulare possent. Nisi forte is, quem ordo tangit, materia, id est, polenta & lupulo destituatur & propter defectum istum plane braxare non possit, quo casu anticipationem permitti posse putamus.

XXII. Ponamus porro per statuta collegii cerevisiarii cautum esse quoties, quis braxare debeat. Et quæritur an numerum sibi præscriptum transgredi liceat? Quod negamus, nam si cuivis pro lubitu, cerevisiam coquere liceret, ordo cerevisiariorum facile inverteretur & collegiati qui forsasse essent paupertinæ conditionis, à potentioribus opprimerentur, quod iniquum foret, cum enim hi, qui tenuioris sunt sortis æque ac illi qui pinguioris, onera communia ferre teneantur, merito etiam sentiant communia commoda *per l. 10. ff. de* [illegible]

R. J. in 6to. Hic adhuc non unæ possent adduci quæstiones, sed cum eas omnes persequi nostri non sit instituti, rectius eas aliis reliquerimus. Pergimus ad causam finalem.

XXIII. Finem juris braxandi facimus duplicem primarium & secundarium. Primarium putamus esse ut privati exinde suum sentiant commodum, quod potissimum in eo consistit, ut quis pro usu domus & familiæ suæ braxare possit, quemadmodum supra satis explicavimus, non attentis iis, quæ in contrarium forte adduci possent. Secundarium dicimus, quatenus respicit usum. Publicum ut cives scil. & minutatim & per dolia aut per aversionem cerevisiam vendere & ita per hanc negotiationem sublevati onera reipubl. ferre queant, ob quæ & ipsis hoc jus concessum videtur. *Tabor de jur. cerevis. c. 3. §. 8.* Unde non immerito quæritur, *An etiam crescentibus oneribus cerevisiariis licitum sit pretium cerevisiæ augere vel intendere?* Quod videtur affirmandum, cur enim non liceat cerevisiariis in sua merce, quæ cerevisia est, quod quibusvis mercatoribus in suis mercibus; jam vero mercatoribus non tantum licet pretium augere, verum etiam emtores suos circumvenire *l. 16. §. 4. ff. de Minor. l. 22. §. 3. ff. locati* (quæ tamen leges sumendæ cum grano salis.) E. & cerevisiariis licebit, nisi per magistratum publicè pretium cerevisiæ statutum sit, prout talia statuta multis in locis exstare *Scheplizius testatur in consvetud. Brandenb. part. 4. tit. 17. §. 4. n. 5.* pretium autem illud justum statui potest, quando attenditur utrum annonæ sit caritas aut vilitas *vid. cit. Scheplitz. dict. loc. in verb.* und sol die Verkauffung oder der Anschlag des Biers nach billigen Werth der Gersten Einkauffs angestellet werden/etc.

Finis. Primarius.

Secundarius

C 2 XXIV.

XXIV. Sicuti Magistratus certum pretium statuere cerevisiariis solet, ita quoque accisam, ut hodiè vocant, cerevisiæ sive exportetur sive maneat in urbe, imponi potest à Magistratu, præprimis eo qui habet superioritatem territorialem *vid.* Knipschild *de jur. privil. Civ. Imp. lib.2.c.19.n.22.* A qua accisa tamen communiter immunes solent esse (1.) Nobiles *vid. constit. Brandeb. ap. Scheplitz. part.4.tit.13.§.4.* (2.) Pastores *vide Scheplitz. loc. jam cit. part. 4.tit.17.* (3.) Professores *vid. Tabor. de jur. cerev. c.5.§.3.* Quæritur autem *an propter hanc accisam statim cerevisiariis tenuiorem coquere cerevisiam liceat?* Ad quam quæstionem distingvendo Respondemus; aut accisa illa est modica, ita ut per eam solutam parum decedat cerevisiariis, aut immodica. Priori casu eam mutandam minimè putamus propter incommoda, quæ exinde sequentur; corruptam enim cerevisiam sanitati valdè obesse & olim Historici observarunt. *Sic enim post Munsterum Zachar. Theobald. part.3.* des Hussiten Krieges *c.27.p.150. scribit:* Durch das geringe Bier sein nicht allein die Leute umb das Geldt / sondern auch um ihre alte teutsche Stärke kommen. Posteriori casu remissionem potius accisæ petant cerevisiarii, quã ipsis etiã princeps concedere tenetur nisi interitum suorum subditorum promovere aut valdè peccare malit *uti post M. de Afflict. & L. de Penna, Heisterm. 1. consil. Marpurg. 7.n.23.p.20. loquitur.*

TXV. Quãdo itaq; accisa illa modica est, cerevisiarii nõ habent, quod querantur: Principes enim, quando vident hoc modo subditos suos non nihil gravari, hoc incommodum alio commodo facilè pensare sciunt. Licet enim emtio & venditio sit de genere permissorum & Præses provinciæ curet, ne quis licita negotiatione prohibeatur

tur *l.6.§.ff.4.de offic.præsid.* usum tamen exoticarum cerevisiarum in suis provinciis interdicere possunt, *uti testantur, Henning. Hammel. de action. c.44.n.6. & Schepliz d. consuet. Brandeb. part. 4.tit.17.§.5. ibi* Werden auch die Räthe in Städten erfahren/daß die Krüger oder Bauren uffn Lande über des Landfürsten Verboth Bier ausser Landes holen / sollen sie ihnen das Bier zunehmen Macht haben &c.

XXVI. Cerevisiarii verò, quando tale obtinuerunt à Principe suo privilegium, caveant omni diligentia, ne eo iterum priventur, quod facile evenire posset, si cauponis suis malam aut nullam cerevisiam divendendam offerent, & ita peregrinantes, in quorum gratiam publicæ cauponæ maximam ob partem institutæ videntur, querendi causam haberent. Posset quoque hoc privilegium iterum aufferri, si caupones eligant minus idoneos & sublestæ fidei, qui in suis cellulis Anabaptistas agunt i. e. dolia aperiunt & plenis modiis aquam infundunt, Quare & rectè in nonnullis provinciis super hisce omnibus statuta sunt data, sicuti in mea patria, ubi in contravenientes gravis pœna constituta legitur in der Pomr Bauer-Ordnung *t.9.§. sæpius all.* Imgleichen soll es auch &c. & §. zu krugern mussen auch Leute &c.

XXVII. Ita etiam pœna rectè constituta est in eos, qui post cœnam vespertinam & sub concione vel finita ea, dum Sacramentum cœnæ Domini administratur, divertentibus suis hospitibus potum præbent ut inebrientur *per d. ordin. Rustic. Pomer. d. t. §.* das Krugen und Bierzapffen

zapffen &c. Quemadmodum enim omnia opificia venerabili die solis exercenda, sunt prohibita *per l. 3. C. de feriis*, ita & merito venditio vini, vini adusti, cerevisiæ præsertim sub sacris concionibus interdicta *vid. constit. prov. Augusti* §. die Bürgemeister *verb.* als unter der Predigt gebranten und andern Wein / Bier &c. zuverkauffen. Idque ex eo fundamento, quia per hanc venditionem dies Sabbathi ut plurimum profanari solet, quæ profanatio tamen non tantum lege divina *Exod. 22. v. 8. c. 23. v. 12. c. 34. v. 21. c. 25. v. 2. Lev. 23. v. 3. & passim*, jure Canon. *c. 1. x. de fer. & sim.* Sed etiam Cæsareo *l. 3. 7. & fin. C. de feriis* seriò interdictà est. Ubi enim libera hæc venditio procedit, ibi ex venditione illa facile inebriatio sequitur, ex inebriatione autem velut alto gurgite omnia vitiorum genera profluunt, promanatque corporum & animarum pernicies certa. *D. Ambrosius l. 1. de pœnitentia tom. 1. c. 14.*

XXIIX. Quod cum Imperatores priorum seculorum nonnulli satis perspexerint, ideoque non tantum hanc inebriationem interdicere, sed etiam omnes inebriationum ansas præcidere voluerunt, ut legimus *in constit. Maximiliani Imperatoris de anno 1500* zu Augspurg *edita sub tit.* von dem Zutrincken ubi omnes propinationes interdictæ sunt, quæ causarent ebrietatem, Idem repetitum *in constit. Maximiliani Coloniæ promulgata de anno 1512. sub tit.* von den Gotteslästerern §. desgleichen wiewohl zutrincken. Hunc secutus Carolus V. ejus nomine *in sua constit. de anno 1503. Augustæ Vindelic. promulgata sub tit.* von Zutrincken / *item in constit. de anno 1548.* Verùm, quam parum constitutiones & recessus attendantur à nostris Germanis, nō puto necesse esse ut id operosis argumentis probetur.

betur. Quilibet hîc ſuam interroget conſcientiam & facile videbit, num hiſce ſalutaribus conſtitutionibus conformem ſe præbeat.

XXIX. Quemadmodum *ex th. 23.* conſtat jus braxandi quoque vergere in utilitatem publicam, ita & ſæpè ex illo publica damna Reipubl. accreſcere ſolent, quod fit, quando cereviſiarii ædes ad braxandum minus idoneas, humiles, caſas ſtramineas poſſident & inſtrumentis parum idoneis ſunt inſtructi, ut facilè incendium exinde poſſit oriri. Rectè itaque faciunt Magiſtratus, qui in ſuis civitatibus certas & peculiares ædes braxatoriis inſtrumentis inſtructas erigunt, ubi polenta præparari & cereviſia braxari poſſit & pro eorum uſu certum vectigal, quod dici ſolet, Darrgeld / das Pfannen oder Braugeld / exigunt *vid. Klock 2. de ærar. c. 11 n. 13. Tabor in ſæpius alleg. tract. de jur. cereviſ. c. 5. §. 2.*

XXX. Quæritur autem hic: *quando quis in propriis ſuis ædibus, quas ſatis putat eſſe idoneas, braxet, incendium oriatur & domui vicini noceat, uti ſæpe ejusmodi caſus accidiſſe compertum eſt, an ille braxans reſarcire teneatur?* Ad quam quæſtionem commodè diſtinguendo reſpondemus, aut enim adhibuit cereviſiarius ille miniſtros privatos ſuos aut publicos. Priori caſu ſi damnum factum ſit tenebitur utique ſi quid per imperitiam commiſſum ſit *arg. l. penult. & ult. ff. Naut. Caup. & ſtabul. l. 4. ff. de publ. vectigal.* idque eo magis, ſi infumibulum fuliginе purgari vel ſciſſuras, per quas ſcintillæ in ſuperius conclave aſcendunt, materiamque igni concipiendo aptam accendunt, ante braxandi actum reparari non curaverit. Poſteriori caſu, ſi ſcil. uſus fuerit opera miniſtrorum publicorum, braxans excuſatus erit. Nam qui facit

cit quod alii quoque facere ſunt ſoliti, non dicitur eſſe in culpa. *l. 3. ff. ad SCtum Macedon. Rauchbar. part. 2. quæſt. 10. n. 60. & 63. Georg. Schulz. in not ad tit. Inſtit. de L Aquil. §. 15. p. m. 441.*

Effectus. XXXI Hactenus de fine & quæ occaſione ejus breviter adduci potuerunt. Nunc paucis examinandi veniunt effectus juris braxandi. Effectus autem ſunt media, quibus poſſimus nos defendere adverſus turbantes, vel id fiat judicialiter vel extrajudicialiter. Extra judicialiter ſcil. quando braxantes turbantem una & altera vice monent, ut abſtineat à braxatione; quod ſi pergat, conjunctim ipſum pignorent, quod ipſis pro tuenda ſua quaſi poſſeſſione licet, ut notatur *per Bartol. in l. 1. §. hoc interdicto ff. de itiner. actuque privat. add. Schneidew. ad tit. de ſervit. præd. Urban. vel Ruſtic. n. 15.* Quomodo porro contra turbantes procedi poſſit extrajudicialiter, *vid. Scheplitz. in conſuet Brandenb. part. 4. tit. 17. §. 2. & 3. n. 1.* Judicialiter, quando proceſſus formatur, actiones inſtituuntur quæ vel perſonales ut varii generis condictiones, pro varietate caſuum, vel reales ut actiones confeſſoriæ & negatoriæ.

Pugnantia. XXXII. Ultimo loco, cum ſatis ratione inſtituti dictum ſit, quomodo hoc jus braxandi conſtituatur, conſtitutum conſervetur, paucis etiam addendum erit, quomodo iterum amittatur. Modi quibus amitti poteſt, varii ſunt; vel enim conſideratur ut jus perſonale, quo caſu jus braxandi amittitur morte ipſius perſonæ, quæ enim perſonalia ſunt cum perſona extinguuntur *ut ſupra th. 6. dictum* vel conſideratur ut jus reale, quatenus ædibus inhæret & hoc caſu morte braxantis non amittitur, ſed quemvis ſequitur poſſeſſorem *vid. eand. th. 6.* Amittitur

porro

porro venditione non ut separatim à domo vendatur, sed una cum domo, separatim enim vendi non potest *Dn. Carpz. part. 2. constit. 41. defin. 15. num. 6.* quia jura realia semper prædio vel ædificio adhærent nec ullo modo separati possunt *vid. supr. th. all. 6.* Amittitur etiam urbis interitu, si urbs destruatur & solo adæquetur; consideratur enim hoc casu ut accessorium quid. jam vero sublato principali tollitur & accessorium *l. 129. §. 1. l. 178. ff. de R. J. c. 42. de R. J. in 6to.* Cum autem jus hoc sit reale, quæritur an ædificio per incendium consumto & hoc jus sit sublatum? Quod negamus, nisi forte culpa incendii braxanti imputari possit, ubi enim culpa ibi & pœna est *l. 22. C. de pœnis.* Tandem jus braxandi amittitur renunciatione. sicuti enim quilibet juri suo renunciare potest *l. 29. C. de pact.* ita & hic renunciatio locum habet, adeo ut semel facta, non habeat regressum *l. 14. §. 9. ff. de ædil. edict. l. fin. C. de remiss. pignor.* Et hæ sunt, Benevole Lector, meæ juris primitiæ, si forte nimis angustæ videtur aut rem planè non tangunt, pro tuâ benevolentia eas supplebis, mihiq; favebis. Interim,

DEO SIT LAUS & GLORIA.

COROLLARIA.

I.

An debitor, qui ipsemet non possidet, brevi tamen possessionem rei adepturum esse sperat, post aliquod tempus etiam nanciscitur possessionem, possessionem istius rei, quam tem-

pore

pore pacti vel datæ obligationis non habet, per clausulam constituti possessorii in creditorem cum effectu tranferre possit, ita ut creditor constitutarius contra debitorem ex causa constituti possessorii agere possit? Negat.

2.

An debitori juris ignaro noceat clausula vel pactum constituti possessorii, qui ignorat ejus vim & efficaciam, nec ejus qualitatis & efficaciæ tempore obligationis datæ certioratus & edoctus fuit? Negat.

IGnis ab Igne venit, flagras ardore Themistos,
Salana cathedram cupidus nunc cal-facis, eodem
Ausù laudando posthac modò perge, labores
Pensatura Themis, tibi *Niceteria* spondet.

PerEximio Domino Autori gratulat.

Johann Volk. Bechmann D. & Præs.

IN *cathedra* potum *tractas, quæ prælia docta*
Te potatorem *non sine laude negant*

Ita in Eximium DN Volrahum de Jure peregrisiario disputantem

Gottfridus Zapffius P. P.

Fal-

FAllor an egregio dicam conamine nisum
Voltziaden nostræ perplacuisse Deæ?
Sic est: æthereas velut inter Cynthia flammas
Crede mihi radios monstrat & ipse suos.
Cætera nosse cupis? Præsentes adspice chartas
His in materies laudis abunda datur.

benevoli affectus testandi ergo hæc adjicit.

Nicolaus Hennings Dithmarsus.

Sonnet.

DEr güldnen Weißheit Ruhm / den Pallas dem nur schencket
Der durch saur-süssen Schweiß sich ihr bedient gemacht /
Geht allem andern vor / die neides - volle Nacht
Des trüben Unbestands auch nimmer Jhn umschräncket.
Dein fleiß-erhitzter Sinn / den Castalis geträncket
Mit ihrem Nectar-Safft / hat reifflich dis bedacht
Drum billich Er den Neid des Unbestands verlacht /
Und zu dem Weißheit Ziel den vollen Lauff hinlencket.
Diß zeuget werther Freund / das / was du jetz geschrieben /
Dein niemahls müder Fleiß wird seyn hierdurch bekant;
Nicht minder dein Verstand / wird biß ans Sternen-Land
Hier durch erhoben seyn / und rühmlich angetrieben.
Drum wol dem / welcher so betrit der Weißheit Ban /
Und welcher den Verstand trifft zum Wegweiser an.

Hiermit hat gegen dem Herrn antwortenden seinem treugeliebten Freunde / seine Schuldigkeit in Eile glückwüntschend ablegen wollen

Johann Ramelow von Colberg aus Pommern.

VIrtutis comes invidia est; at pectus honestum
Ridet, & ingenuè, quod probat, omne facit.
Sic, *Voltzi*, omne feres punctum, si, cum tua Virtus
Te trahit, exsequeris, dignaque laude sitis.

Pro-

Proposito grator: Pergas, sic invidus omnem
Exuet invidiam riteque victor eris.

Eruditissimo Dn. Autori, Commensali ac Amico suo suavissimo in amoris & favoris tesseram L. M. que scribebat

Gottfridus Gaulius Fridberg. Neo-March.

CVique suum pulchrum est: magnos cupit ille labores
Otia vult alter desidiamq; malam
Te crebros petiisse labores, dulcis Amice
Nec cessasse operis, themata docta docent.
Gratulor hinc cœptis, si pergis, ob huncce laborem
In patriâ quondam præmia larga feres

Amico & Conterraneo suo honoratissimo paucula hæc gratulabundus adjicere voluit.

Christianus Siefartus Gryphenb. Pomer. S.S.Theol. Stud.

LEgibus in sanctis solidos qui quærit honores
Eximios illi sancta datura Themis;
Sic quoque, cum quæras studio, Tibi, candide VOLTZI
Illos & juxta præmia grata dabit

Præstantissimo Dn. Autori, Consalino & contubernali suo hæcce proni affectus testandi gratia apponere voluit

Christianus Walter Pyritiâ Pomer.

DOctrinâ solidâ mactat Salanus Apollo
Ardens qui studium ponunt ipsius ad aram

Joachimus Lubbeke Camm. Pom.

FINIS.